

Summa praeceptorum homileticorum in Schediasmate de ratione concionandi simplicissima [...]

Autor(en): **Meister, J.H.**

Objektyp: **Article**

Zeitschrift: **Museum Helveticum ad juvandas literas in publicos usus apertum**

Band (Jahr): - **(1750)**

Heft 17

PDF erstellt am: **22.06.2024**

Persistenter Link: <https://doi.org/10.5169/seals-394665>

Nutzungsbedingungen

Die ETH-Bibliothek ist Anbieterin der digitalisierten Zeitschriften. Sie besitzt keine Urheberrechte an den Inhalten der Zeitschriften. Die Rechte liegen in der Regel bei den Herausgebern.

Die auf der Plattform e-periodica veröffentlichten Dokumente stehen für nicht-kommerzielle Zwecke in Lehre und Forschung sowie für die private Nutzung frei zur Verfügung. Einzelne Dateien oder Ausdrucke aus diesem Angebot können zusammen mit diesen Nutzungsbedingungen und den korrekten Herkunftsbezeichnungen weitergegeben werden.

Das Veröffentlichen von Bildern in Print- und Online-Publikationen ist nur mit vorheriger Genehmigung der Rechteinhaber erlaubt. Die systematische Speicherung von Teilen des elektronischen Angebots auf anderen Servern bedarf ebenfalls des schriftlichen Einverständnisses der Rechteinhaber.

Haftungsausschluss

Alle Angaben erfolgen ohne Gewähr für Vollständigkeit oder Richtigkeit. Es wird keine Haftung übernommen für Schäden durch die Verwendung von Informationen aus diesem Online-Angebot oder durch das Fehlen von Informationen. Dies gilt auch für Inhalte Dritter, die über dieses Angebot zugänglich sind.

Summa Præceptorum Homileticorum
in Schediasmate de ratione concionandi
simplicissima

a JO. HENR. MEISTERO al. Le Maitre dicto,
lingua Gallica & Germanica edito,
contentorum.

Sacri Ministerii Evangelici Candidatus, tum
Studiis Philologicis, Philosophicis & Theo-
logicis ad solidam Scripturæ Sacræ exegefin,
piamque ejusdem adplicationem necessariis
probe imbutus, cum etiam puro sinceroque, ut
debet, Zelo pro Gloria Dei, candidoque salutis
auditorum suorum desiderio flagrans, vix aliis
præceptis opus habere videtur, ut in concionibus
publicis officio suo satisfaciat, nec alio artificio
ut Homilias suas, sive Orationes sacras sapienter
& commode disponat; præterquam, ut scopi sui
memor ad illum unicum cogitationes & observa-
tiones omnes nexu quam simplicissimo referat, at-
que hunc in finem, quotiescunque pro concione
verba facere instituit, antequam vel Orationem
integram ordine verbotenus in chartam conjiciat,
vel absque Scripturæ subsidio ex tempore publice
dicere ausit, in mente sua dicenda omnia in unum
aliquem Syllogismum Oratorium reducat.

Equidem regula hæc nonnisi imperfecte & im-
proprie admodum in illis Homiliis observari po-
test, quæ fere ex mera paraphrasi integri Capitis
vel prolixioris alicujus periochæ Scriptorum Ca-
noni-

nonicorum constant. Talia nimirum exercitia sacra, quorum usus certe ut frequentior esset, ad imitationem Ecclesiæ primitivæ, valde optandum est, nullum aliud postulant nec ferunt omnino unitatis vinculum, nisi quod unam exponant vel historiam, vel parabolam, vel prophetiam, vel exhortationem generaliore, vel doctrinam, diversis utcunque partibus compositam, & diversos usus nobis præstantem, quos Exegeta vel cuivis parti, vel toti paraphrasi ad finem jam perductæ subnectere libere poterit.

Ubi vero vel in Explicatione textus alicujus particularis, ejusque brevioris & strictioris, vel in Catechisatione locus aliquis Theologicus, vel argumentum aliquod simplex occurrit; primum, quod Oratori curandum videtur, est ut omni animi contentione attendat, de quam hic & nunc agatur veritate; Postquam de Statu quæstionis secum ipse certus est, dispiciet quomodo quæstio proposita definienda sit. Definitio illa conclusio erit syllogismi, quem diximus, oratorii.

Ratio definiendæ quæstionis est quod in Logica medius conclusionis terminus vocatur, ex quo nimirum judicandum, num subjectum & prædicatum conclusionis inter se conveniant nec ne. Quamvis enim medius ille terminus non ingrediat conclusionem, semper in illa subintelligitur. Ipse autem terminus medius in textu, vel in articulo proposito Catechismi, aliquando expressis verbis diserte continetur, aliquando vero aliunde præsupponitur. Quamprimum igitur ille inventus est, oportet illum semel cum termino conclusionis

fionis majore seu prædicato, & semel cum termino conclusionis minore, seu subjecto comparare; unde conficitur propositio Syllogismi nostri major, & propositio minor, ex quibus porro conclusio sponte fluit.

Esto verbi gratia explicandus textus Joh. IV. 24. Spiritus est Deus: & eos, qui adorant eum, in spiritu & veritate oportet adorare.

Quæritur hic apertissime, quomodo colendus sit Deus, an solummodo cæremoniis externis certis locis ritibusque adstrictis, an potius animo puro qui semper & ubique locum habet? Quæstionem hanc ita definit Dominus noster, ut doceat, Cultum Deo dignum esse maxime spirituales. Thema igitur Concionis in textum propositum instituendæ erit de Cultu Dei spirituali, ejusque necessitate: Hæc scilicet conclusio: Deus in spiritu & veritate est adorandus.

Ratio hujus conclusionis in textu totidem verbis exprimitur, quod Spiritus est Deus, & quidem, velut tam ratione naturali quam revelatione Divina constat, Spiritus infinitus, immensus, ubique præsens, sapientissimus, sanctissimus, cui proinde honorem deditum habere nequimus, nisi ita de illo sentiamus, quemadmodum perfectiones illius infinitæ nos de illo sentire postulant, quod utique animi est, & tam sano de Numine supremo judicio quam piis erga eum affectibus efficitur.

Hinc emergit syllogismus, ex quo tota nostra Oratio sacra componenda est.

Si

Si Deus est Spiritus, etiam in Spiritu & veritate est colendus.

Atqui Deus est Spiritus.

Ergo Deus etiam in Spiritu & Veritate est colendus.

Hæ propositiones si modo solide, simpliciter, atque ad captum plebis Christianæ evolvantur, earumque nexus luculenter, & emphatice ostendatur, nihil erit quod jure in Oratione nostra desideretur.

Ne vero laborem in Orationibus Sacris collocandum præter necessitatem aggravemus, ne tempus inutiliter teramus, ne attentionem auditorum imprudenter ad objecta a scopo nostro aliena distrahamus, indignum prorsus Oratore sacro videtur, ut per ambages exquisitorum exordiorum ad thematis sui tractationem aditum sibi paret. Quin potius firmiter sibi persuadeat, se non alia præparatione nec alio introitu opus habere, quam thematis propositione quam simplicissima, utpote nullum aliud sibi tractandum sumet, quod non gravitate, dignitate, utilitate sese satis commendet. Plerumque etiam thematis propositio, ex nexu & sensu textus literalis eruenda, satis prolixa erit, ut speciem aliquam præfationis sive exordii præ se ferat. Huc etiam referri potest prosyllogismus aliquis, quem Syllogismi nostri Oratorii propositio major præsupponit. Is enim, si forte metuendum sit, ne maxima auditorum pars, quorum ratio habenda est, sponte de illo non cogitet, paucis præmitti commode potest. Ita Syllogismo, ad quem Sermo Sacer in Joh. IV : 24. componendus est, talis fere prosyllogismus proemii loco conveniet :

Honos

Honor honorando dignus ille demum est, qui
(ejus naturæ consentaneus est.

Atqui cultus mere cæremonialis Dei naturæ con-
(sentaneus non est

Ergo cultus mere cæremonialis Deo dignus non est.

Ipsa thematis propositio plerumque adeo complexa erit, & conclusio, ad quam omnis sermo dirigendus atque collimandus, vel terminis majore & minore adeo complexis constabit, & termino medio adeo parum obvio nitetur, ut clare & dilucide thema proponi & in medium produci nequeat, nisi statim ab initio diversa ejus membra differtis verbis distinguantur: Neque tamen ideo necesse est partes Orationis distincte enumerare, vel methodum, quam Orator in componendo & elaborando sermone suo secutus est, velut conspectui Auditorum enunciatis divisionibus & subdivisionibus idearum exponere, utpote quod exercitium Scholasticum magis quam gravem & seriam Orationem redolet. Meminerimus igitur nos pro Concione non id agere ut Auditores doceamus, qua arte, quave methodo Oratio Sacra contextenda sit, sed potius quid Christianos credere, quid sperare, quid amare & quid in tota vita sua sectari eos deceat. Rem nostram tunc demum quam rectissime geremus, si operam demus, ut, quantum in nobis est, omnem attentionem, studium & affectum auditorum in rerum dicendarum examen serium, non vero in eloquentiæ dicentis admirationem convertamus.

Cæterum ad decorum homileticum maxime pertinet, ut sollicite videamus, ne proprii ingenii aut eruditionis qualiscunque ostentatione, unquam

quam gravitati & sanctitati Prædicationis Evange-
 licæ, aut Majestati Verbi Divini, cujus inter-
 pretes fideles videri volumus, derogemus: ut Chri-
 stus, qui Sacræ Scripturæ utramque paginam ab-
 solvit, etiam omnium nostrarum homiliarum Sa-
 crarum unicus sit scopus: ut in explicatione tam
 veritatum Evangelicarum, quam Virtutum Chri-
 stianarum, ita semper singulis insistamus, ne ne-
 xus earum cum reliquis vel veritatibus credendis
 vel virtutibus exercendis attentioni nostræ pro-
 fus excidat: ut cum theoretica Doctrinæ Christia-
 næ parte semper jungatur practica, sive ut
 sedulo monstretur influxus singulorum fidei Chri-
 stianæ articulorum in mores fidelium: ut in tra-
 ctandis Controversiis parcos admodum & sobrios
 nos præbeamus, veritatis pacisque & charitatis
 studium amico connubio connectentes, & quæ-
 cunque non ad ædificationem auditorum, eorum-
 que confirmationem in cognitione & amore veri-
 tatis, quæ est ad pietatem composita, necessa-
 ria & utilia sunt, Scholæ relinquentes.

T A N T U M.



Con-